



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 36. Helvetii Pagi a sancto Carolo Iustrati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

**Sæcul. XVI.** Pontificem instabat, ut hæc pæna, in  
 A.C. 1571. custodiam, qua intra quoddam clau-  
 strum includeretur, immutaretur, ac  
 sic hic reus pænitendi spatium obtine-  
 ret. Fertur, quod Farina luculenta pæ-  
 nitentiæ signa edens obierit, atque ad  
 illos, qui eum exauctorabant, dixerit,  
 se indigne tam sacrum habitum gestasse,  
 eoque spoliari esse promeritum: cum  
 vero scalam conscenderet, populum, at-  
 que adstantes, obtestabatur, ut pro ob-  
 tinenda commissi criminis venia Deum  
 exorarent, quem gravissime offendisset,  
 in Pastoris tam sancti, atque pro ani-  
 marum salute adeo proficui vitam infi-  
 dias struendo. Alius ex Præpositis,  
 qui capite truncati fuerant, ingentem  
 Cardinalis charitatem intelligens eidem  
 suam Neptem, quam in summa pauper-  
 tate reliquerat, commendabat: cui mox  
 Sanctus Archiepiscopus significari jussit,  
 se singularem illius curam habiturum,  
 quod promissum, & ipse progressu tem-  
 poris opere complebat.

## §. XXXVI.

*Helvetii Pagi a Sancto Carolo lu-  
 strati.*

*Giuff. c. 26*

Peracto hoc suppicio Sanctus Cardi-  
 nalis rursus suæ Diæcesis valles  
 Helvetiorum imperio obnoxias lustrare  
 aggrediebatur, ut primæ suæ visitatio-  
 nis

nis fructus plene colligeret. - Absoluto **Sæcul. XVI.**  
pio hoc opere in hanc regionem ultra **A. C. 1570.**  
Germaniae montes penetrabat, obten-  
dens, quod Sororem suam Comitissam  
Hortensiam, quae in Althempfiana ar-  
ce morabatur, visum ire vellet, quam-  
vis genuina ejus voluntas eo abiret, ut  
circa plures maximi momenti res reli-  
gionem, atque in tribus sue Diæ-  
cessis vallibus disciplinæ restauratio-  
nem concernentes cum Helvetiis con-  
ferre posset: itaque sensim omnes Ca-  
tholicos Pagos lustrabat, non sine in-  
genti nominis sui fama, illiusque di-  
tionis Clericos vitae licentia valde dis-  
solutos, necnon plura monasteria, in  
quibus ægre aliquod strictioris discipli-  
næ Monasticæ vestigium deprehende-  
batur, ad meliorem frugem ravoca-  
bat, quamvis vero itidem tanta esset  
morum corruptela, ut Monachi in ipsis  
quoque suis cellis mulierum obsequiis  
uterentur, & in potissimum conventibus  
hospitia erecta essent, in quibus multa  
laxioris vitae scelera perpetrabantur,  
tanta tamen moderatione, & pruden-  
tia utebatur sanctus Præsul, ut ab omni-  
bus Religiosis, Sacerdotibus sæculari-  
bus, ac laicis Proceribus maximi habe-  
retur, ac tanquam ipsorum Paterè co-  
leretur, cunctis ipsum rogantibus, ut  
quicquid ad bonum regimen magis con-

N n 4 gruum

SÆCUL. XVI.  
A.C. 1570.

gruum censeret, libere præcipere velit, ac de plena eorum submissione certus esset: unde ipsius sanctiones cum ingenti gaudio exceptæ, ac cum majori adhuc promptitudine effectui fuerunt datae. Insuper omnia Ecclesiastica jurisdictionem concernentia componens rectam regiminis formam in tribus hinc vallibus, quæ sacræ ejus jurisdictioni erant subditæ, introducebat.

§. XXXVII.

*Pontificis consilium de extirpando Humiliatorum Ordine.*

*Giuſſ. c. 27.* Summus Pontifex cum illorum, qui necem Sancti Caroli moliebantur, suppliciis tantum scelus nondum satis expiatum crederet, de Fratrum Humiliatorum Ordine penitus extirpando consilia agitabat, quamvis Hispaniae Proceres sibi obſtituros prævideret: præprimis ergo Sacrum Purpuratorum Collegium, ne in re tanti momenti inconsideratum quicquam aggredetur, convocabat, eorumque sententias desuper exquirebat. Verum vix hoc Pontificis consilium Mediolani innoverat, cum illico Sancti Caroli patrocinium imploraretur, quatenus hic fustum hunc eventum præpedire vellet; itaque ex ipsius consilio decretum, Romanam Generalem hujus Ordinis Præpositum